



# Disputatio juridica inauguralis de emptione venditione

<https://hdl.handle.net/1874/345783>

42.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EMPTIONE VENDITIONE,  
*Q U A M,*  
FAVENTE DEO OPT. MAX.  
*Anctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**

Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Publico Examini subjicit*

**THEODORUS van EYLL, ARNHEMIENSIS.**

*A. D. 23. JANUARI, hora locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM;**

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Icc xciv.

DE O  
UNI & TRI NO  
SENATUI ACADEMICO.  
FAUTORIBUS.

*Amplissimo*

*Omnibusque*

Has Theses

*Consecrat. AUCTOR.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS.  
DE  
EMPTIONE VENDITIONE.

THESIS I.



N immenso Digestorum opere, nihil usitatis, nihil frequentius, nihil contractibus est præstantius; ex his enim tanquam matre & fonte, proveniunt obligationes, ex quibus oriuntur actiones, ad quas Prætorum Edicta, SCra omnia judicia, immo omnia respiciunt jura: quorum omnium frequentissimus Emptionis Venditionis contractus nullusque per quem res magis æquabiliusque communicentur inter mortales, ut non immerito Romani, eum habuerint tanquam justissimum, omnibusque fere solemnibus familiarium mutationibus translationibus & alienationibus, ut adoptionibus, emancipationibus, & testamentis &c. adhibuerint ut *testis est Cont. lib. 1. disp. cap. 16.* Cujus contractus, cum tanta præstantia, tantaque utilitas, vel potius necessitas, visum est de hoc agere, & ut recta disputandi ratio postulat à notioribus sic juvat ab ejus definitione, & primo quidem ab ejus genere, exordium ducere. Emptionis Venditionis genus est contractus, à contrahendo, id est consensu simul agendo sic dictus; desiderant enim hi actus personarum

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

pluralitatem qui ab *Vlp.* in *I. Iabeo* 19. ff. de verb. sign. dicitur ultro ci-  
troque obligatio, quod Græci vocant *ευράλλημα*. à plerisque in ge-  
nere definitur, conventio cum causa sc. agendi, non male à The-  
philo; quod sit duorum, vel plurium in idem placitum conven-  
tio, ad constituendam obligationem, & ut alter alteri fiat ob-  
noxius, quæ definitio omnibus, & solis convenit contractibus,  
nec pactis etsi legitimis accommodari potest; hæc etsi obligatio-  
nem pariant non tamen id operantur, ex natura conventionis,  
sed ex confirmatione legis, pactis extrinsecæ & accidentalis hinc  
cum *Cuj.* libenter nego, contractum pacti esse speciem *diss.*  
*Don.* in rub. *C. de pact.* *Duar.* & alii per *I. 3. ff. de usuf.* *I. 20. C. de*  
*pact.* *I. 71. ff. pro soc.* *I. 35. ff. de inoff. test.* pactum enim & contra-  
ctus esse species oppositas, nimirum conventionis *I. 1. §. 2. ff.*  
*de pact.* indicat.

#### I I.

Multiplex ac varia est contractus divisio: vulgata & satis  
ex *I. 3. ff. de pres. verb.* & *I. 7. §. 1. & 2. ff. de pactis* nota constat illa  
divisio contractuum, in nominatos & innominatos, quorum  
nominati dicuntur, qui non stant in suo nomine, sed transeunt  
in proprium & speciale nomen contractus. Innominati, qui  
nomine proprio destituto, causam, id est dationem, vel factum  
habent: hujus species, ut Paulus in *I. 5. ff. de pres. verb.*, sunt  
*Do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias:* in quibus  
& omnibus eruitur, non ex solo consensu, sed ex datione  
vel facto, nasci obligationem, *I. 1. §. 2. ff. de rer. perm.* Permu-  
tatio, etsi in multis Emptio vicina, & similis, sic ut æque  
in hac, ac in illa præstetur Evictio, *I. 2. C. de rer. perm.* Edic-  
tum ædilitium, & beneficium *I. 2. C. de ref. vend.* locum ha-  
beant, *I. 19. §. pen. ff. de edil. ed. I. 2. C. de ref. vend.* ut apud vete-  
res dubitatum fuerit, an ne tale placitum esset ipsa Venditio, id  
quod Cassius Sabinus existimavit, *I. 1. §. 1. de contr. Empt.*  
nomine tamen proprio carens, inter ipsos reponitur contractus  
innominatos, estque vere forma & effectu ab Emptione distin-  
cta. Una enim contractus est nominatus, alia innominatus.  
Hæc rei datione, illa solo perficitur consensu: illa rem, &  
pretium requirit, hæc rem & rem desiderat.

Omnis

## INAUGURALIS.

## III.

Omnibus aliis prætermissis, unicam illam non minus notam, ac celebrem huc refero divisionem, contractus quosdam consensu quosdam re, quosdam verbis, & quosdam perfici litteris: ubi sine dubio omnibus notum, hanc non ita rude intelligendam esse divisionem, dari quosdam, vel saltem esse possibles contractus, omni omnino consensu destitutos; quod implicat contradiccionem: verum hanc ita esse concipiendam, omnes constare consensu, aliquos insuper aut verba, aut rem, aut litteras, ad sui constitutionem, & perfectionem postulare. Inter illos qui solo egent consensu, primas tenet Emptio Venditio, unicus & indistinctus contractus, nam et si quis nomina illa distincta audiatur, ut aliud sit emere, aliud vendere, alius Emptor, vendor, alius, pretium sit quid à merce diversum, ipsaque actio Empti, & Venditi inter se distincta, non ideo duplarem inferat contractum, natura enim contractus exigit, ut super diversas praestationes, & a diversis celebretur personis, idcirco hæc ipsa nomina, *Emere* & *Vendere*, *Emptor* *Vendor*, promiscue sumi, ipsasque Empti & Venditi actiones inter se confundi, in jure reperies, ut in l. 19. l. 13. §. 23. ff. de act. Empt. l. 7. §. 4. ff. pro Empt. l. 34. ff. de cont. Empt.

## IV.

Origo Emendi Vendendique, à permutationibus cepit, permutationis difficultas, (cum tum non tam facile eveniebat; ut cum unus haberet quod alias desideraret, hic in vicem haberet, quod ille petere vellet) fecit, ut sit *Electa materia cuius* *jus publica*, ac *perpetua estimatio difficultatibus permutationum equalitate quantitatis subveniret* l. 1. pr. ff. de cont. Empt. Emptionis definitio cum nulla in jure certa, alia & alia à Doctoribus traditur, aliqui hanc conventionem de re certo pretio habenda, ajunt. Plerique cum Cuj. hanc definiunt, quod sit *contractus* (*& quidem f. Gentium B. F.*) nominatus, solo consensu initus, eo fine, ut dominium rei vendite transferatur in emporem, venditori certo dando pretio. Quæ mihi præ alia placet, minime tamen hinc sequitur, nullam esse sine translatione Dominii venditio-

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

nem; venditoremque teneri rem facere Emptoris, cum ut aperte ex l. 11. §. 2. ff. de att. Empt. Venditor rem tradere & evictionis nomine obligetur. Neque huic obstat, quod Emptor necesse habeat pretium facere Venditoris, est enim alia præstatio pretii, quod cum in quantitate consistat, interesse non admittit; alia rei: neque semper verum est, correlativorum semper esse eandem rationem vid. Cn. 23. obs. 32. in fin.

### V.

Emptio Venditio hæc tria, consensum; rem, & pretium ut substantialia desiderans, perfecta intelligetur, si circa rem certam, de pretio conventum sit, etiæ nec pretium numerarum, neque arrha data sit. Describitur autem arrha, quod sit pecunia, aliave res ab Emptore Venditori data, in argumentum Emptionis perficiendæ, vel perfectæ, quam amittit, si contractum perficiendum invito altero non implet Emptor, si vero Venditor, duplicatam restituit pr. inst. de Empt. Vend. l. 17. C. de fide instrum. A contractu Emptionis Venditionis semel perfecto, alterutro invito, etiam cum amissione arrharum recedere non licet; arg. leg. sicut C. de obl. & att. l. 34. ff. de cont. Empt. Pretium, quod debet consistere in pecunia numerata, certum esse opportet; §. 1. inst. de Empt. & Vend. etiæ non semper simpliciter & per se, sufficit relative, hoc est per relationem ad aliud, nimirum ad quantitatatem ante determinatam, vel determinato loco existentem, v. g. quanti tu emisti, quanti in arca habeo vel quod idem est, pro eo quod in arca habeo, sub hunc certitudinis relativæ casum pertinet, si aestimatio in arbitrium tertii vel certæ personæ sit collatum l. 8. ff. de cont. Empt. non posse conferri pretium in arbitrium alicujus è contrahentibus indicat l. 35. §. 1. ff. de cont. Empt.

### V I.

Res omnes, quas quis habere, possidere vel persequi potest, vendere fas est, quas vero natura, jus Gentium, mores civitatis commercio exuerunt, alienare non possumus. l. 34. §. 1. de cont. Empt. Hinc hominem liberum scientes, nec emere l. 34. §. 2. eod. Nec rem sacram,

sacram, sanctam, religiosam, nisi in redemptionem captivorum, nec mala venena, nisi adjectione alterius materiae fieri possint salutaria l. 39. §. 2. eod. nec domos, negotiandi causa ut destruantur, vendere possumus l. 52. eod. ne ruinis deformetur urbis aspectus. Et res non tantum possessas, actaque existentes, verum & futuras & possidendas, & quae adhuc sunt in spe, ut futuros fructus, ancillæ partum, retis jactum, missilia unus dici venationem recte emimus & vendimus, l. 8. ff. de cont. Empt. Quo casu etsi nihil captum sit, nihil exstiterit, totum tamen vendori debetur pretium. Et res tam alienas, quam proprias recte distrahimus, l. 28. eod. Non enim dare, sed tradere tenetur vendor: annuorum censuum Emptionem, dummodo crimen usuræ absit, non tantum validam, sed & licitam esse, cum omnibus fere Jctis contra Hott. lib. 2. obs. cap. 15. affirmat. *jus Can.* cap. 1. & 2. in extrav. de Empt. & Vend. cui affinitior.

## VII.

Emptionem Venditionem recipiunt, res tam corporis experientes, quas Græci ἀποματεῖς vocant, (ut sunt jura obligationes, actiones, hæreditates &c.) quam ejus prædictæ l. 1. & tot. tit. ff. de her. & act. vend. & obligatio tam conditionalis quam pura, modo non litigiosa, & non alienata in potentiores l. 17. ff. de act. her. vend. l. fin. C. delitig. l. 2. C. ne lic. potent. & actio tam in rem quam in personam etiam invito debitore, recte venditur, etsi eo invito non delegetur l. 1. Cod. de Novat. Hereditas ut veneat, necesse est mortuum esse eum de cuius hereditate agitur, viventis enim nulla est hereditas, l. 1. ff. de her. & art. vend. Vendita hereditate hoc agi inter Ementem & Vendentem censetur, ut neque minus, neque amplius juris, Empor habeat quam apud heredem futurum esset, l. 2. pr. eod. & ut non tantum quod ad Venditorem hereditatis. sed quod ad heredem ejus, ex hereditate pervenit, & non solum quod jam pervenit, sed & quod quodocunque pervenerit, Empori sit restituendum d. l. 2. §. 4. Cum Empor vicem heredis obtineat §. 18. eod.

Hinc

## DISPUTATIO JURIDICA

### VIII.

Hinc sese offert per celebris illa , & inter JCSultos toties tan-  
toque ardore animorum agitata , neque adhuc decisa quæstio.  
An vendita hereditate jus accrescendi , ut loquimur , transeat  
in hereditatis Emptorem ? *Duar. lib. 1. de jur. acc. cap. 6. Wiss.*  
*disp. 35. lib. 18. ff. de her. & act. vend.* aliique quam plures affir-  
mativam tuentur , eamque inferunt ex *l. 2. ff. de her. &*  
*act. vend.* modo thesi antecedenti relata , item ex *l. 33. §. 1. de*  
*usufr. l. Papianus ff. ad Treb. &c.* sed incerta illatio : Ut res clari-  
rior pateat , casum formo , animoque fingo , Petrum & Paulum  
à Cajo scriptos esse heredes , & Petrum suam hereditatem seu  
jus titio vendidisse , post venditionem Paulum vel defecisse ,  
vel suam portionem repudiasse , quid juris , petitur . Et  
puto Pauli portionem coheredi Petro , non tantum accrescere ,  
sed neque Emptorem eam à venditore petere actione ex Em-  
pto posse ita *Cuj. 12. obs. 13. Gom. 1. resol. 10. no. 44. Vag. 4.*  
*de tac. subs. lib. 3. §. 12. Fach. 5. cont. Cap. ult. & 10. cont. cap. 3. Vinn.*  
*select. quæst. lib. 1. cap. 55.* aliique plures ex *l. 4. §. ult. ff. si quis*  
*omiss. can. test. l. sed cum patronoff. de bon. poss. item l. 2. §. 2. ff. de*  
*her. & act. vend.* ubi inspicitur hereditas quæ fuit tempore con-  
tractus . Sic vendita hereditate heres qui vendidit , utpote  
adhuc habens actiones directas tenetur adhuc creditoribus he-  
reditariis *l. 8. ff. de acq. her.* cum qui semel est heres semper ma-  
neat heres *l. 88. de her. insti.* neque invitum Emptorem credi-  
tores convenire possunt . Divus pius sua constitutione Empto-  
ri utiles adversus creditores concessit actiones *l. 5. C. de her. & act.*  
*vend.* Hereditatis venditioni hoc insuper est speciale quod ven-  
ditor de evictione satis dare non debeat , etsi , de facto suo satis  
dare cogendus sit . *l. 2. pr. ff. de hered. & act. vend. l. Cod. cod.*

### IX.

Ab omnibus , nisi lege vel natura specialiter prohibeantur ,  
recte celebratur venditio . Prohibentur autem furiosi , infantes ,  
amentes , quos ipsa natura defectu consensus , non tantum ab  
hoc , verum & ab omni alio removet Contractu . *l. 5. l. 40. ff.*  
*de*

de R. Jur. Lege specialiter inhibetur venditio primo patrem inter & filium , qui in hac materia habentur pro una eademque persona , ut omnes res omnesque obligationes filio acquisitæ patri accedant , nisi in peculio castrensi , quasi castrensi &c. in quibus filius habetur pro patrefamilias l. 2. ad Sen. Maced. l. 2. C. de Bon. qua lib. Secundo venditione inter tutorem & pupillum vitiatur l. 34. §. 7. ff. de cont. Empt. nisi adsit contutor , vel palam & bona fide contrahatur , l. 5. §. 4. & 2. ff. de ant. & conf. int. Tertio Non licet cui ex officio , quod administrat quid Emetre , vel per se , vel per aliam personam l. 46. ff. de cont. Empt. in poenam non tantum amittenda rei ; sed & quadrupli ex constitutione Se- ver. & Anton. l. 46. ff. eod. hinc præsides provincialium mini- me quid emere poslunt à suis provincialibus , ne vilius res suas abdicare cogantur provinciales : qua de re copiose , orna- teque in verr. Cicero. dum ait. que fuit causa , cur maiores nostri eos , qui cum in potestate aut legatione essent in provincia , tam diligenter in provinciis ab Emptionibus removerunt ? Hanc Judices quod pu- tabant erectionem , non emptionem esse , cum venditori suo arbitratu ven- dere non liceret &c.

## X.

Emptio contrahitur vel pure , vel sub conditione , ex die , in diem , scriptis vel sine scriptis pr. inst. de Empt. vend. l. 40. ff. de cont. empt. l. 17. C. de fid. instr. si pure contracta , eaque perfecta sit , statim etiam ante traditionem periculum , uti & commo- dum spectat ad Emptorem , l. 7. l. 8. ff. de commod. & per. &c. si vero conditio illi adjecta , resque fungibilis , quæ pondere , nu- mero constat , aut mensura , vendita sit , ante conditionis even- tum , ponderationem mensuram &c. periculum est venditoris l. 35. §. 5. ff. de cont. empt. nisi res sint venditæ per aversionem l. 4. §. 1. ff. de per. & commod. &c. Venditor quamvis ipsius periculo res non sit , tenetur tamen præstare dolum , latam & levem culpam l. 5. §. 2. ff. commod. & aliquando levissimam , seu talem custo- diam , quam adhibent hi quibus res commodata est , l. 3. ff. de per. & comm. &c. nisi emptor sit in mora ; hinc si vinum ut certo die tollatur venditum admonitus emptor non sustulerit , non tantum non custodire tenetur , sed si vasis indiget , effundere illud potest venditor l. 1. §. 3. ff. eod.

B

Emptioni

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

### X I.

Eemptioni non raro adjiciuntur varia pacta , è quibus frequentissima sunt , addictio in diem , Lex commissoria , & pactum de Retrovendendo . Addictio in diem sit , cum quis fundum , aliam rem , certo vendit pretio , nisi intra certum tempus melior offeratur conditio : An autem talis conventio sit , pura , an conditionalis , attendendum (ut monet *Vlp. in leg. 2. ff. de ad. in diem.*) quid præcise actum sit . ubi ait si hoc actum , ut meliore allata conditione discedatur , erit pura emptio . quæ intelligitur conditionalis . si actum , ut perficiatur Emptio , nisi melior conditio offeratur . d. l. 2. si vero fundus ita alicui pure in diem addicatus sit , is potest hunc usucapere , fructus lucratur & accessiones , eumque fundi interitus & periculum sequitur . l. 2. §. 1. cod. quod in conditionali non obtinet . l. 4. cod.

### X I I.

Lex commissoria est pactum venditioni adjectum , quo id agitur inter contrahentes , ut pretio certo die non soluto , si vendor rem venire nolit , res sit inempta l. 2. ff. de leg. comm. hac lege Eemptione celebrata dominium est penes Emptorem cui & fructus cedunt . l. 5. cod. si vero empor legi non paruerit , statutoque die pretium non obtulerit , tenetur , et si non interpellatus , rem fructusque medio tempore perceptos , restituere venditori , qui hos & actione in personam , & rei vindicatione à quoquaque detentore repetere potest l. 4. ff. de leg. comm. l. 6. §. 1. ff. de contr. empt. vendor et si possit vel legem commissoriam exercere vel pretium petere , cum ejus gratia & in ejus favorem sit hoc pactum adjectum , certumque sit quemque suo beneficio renuntiare posse , tamen uno electo variare non potest l. 4. §. 2. de leg. comm. Hæc conventio et si jure veteri in pignoribus licita , ut pecunia certo die non data , pleno jure pignus fieret creditoris , jure tamen novo , constitutione Constantini ob ejus iniquitatem est prohibita , l. ult. C. de palt. pign.

Initur


## XIII.

Initur saepe emptio cum pacto de Retrovendendo, quod fit cum paciscuntur contrahentes, ut redditio indefinite, vel intra certum tempus pretio, res vendita restituatur; *l. 2. C. de paſt. inter. empt. & vend.* cuius contractus fides ut servetur, actio praescriptis verbis, & ex vendito, competit venditori ejusque heredibus, contra emptorem & ejus heredes, (etsi nulla heredum mentione facta *l. 9. ff. de probat.*) ut oblato pretio, quod accepit, vel acceptare recusavit, non tantum fundum, aliudve venditum, sed omne, quod post nudam pecuniae oblationem, ex re pervenit vel pervenire potuit, emptor restituat *d. l. 2.* potest hoc jus, (quippe omnis actio) in alium transferri, etque (si hoc actum, ut pretium quandocunque offerri licet) perpetuum, nulloque temporis spatio, etsi longissimo praescribi potest, ita *Mens. centur. I. obs. 16. Fach. 2. cont. cap. 13.*, qui plures ibi pro se citat autores. dissentientes vide apud *Anton. Gabr. comm. conc. tit. de pref. conc. 6. Tiraq. de retrahit. concert. §. 1. Glos. 2. no. 31.* qui citant *50. in contrarium, Doctores.* Dominium vero rei venditae, etsi ex lege commissoria, non revertitur ex hoc pacto ad venditorem, nec datur contra tertium vel quemcumque detentorem rei vindicatio. ita *Bart. ad l. I. no. 10. ff. de donat. Bald. in consil. 482. lib. I., contra Cast. Decimum. &c. alios.*

## XIV.

Ut de Emptionis effectu non nihil dicamus, sciendum ex hoc contractu nasci efficacem obligationem, ad producendam actionem empti & venditi, *toto tit. ff. de act. empt. & vend.* Actio venditi, quae & contraria dicitur, competit venditori, ad persequendum pretium, & omne id quod ab Emptore praestari oportet, *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. & vend.* Empti quae directa dicitur, est personalis actio, & quidem bonae fidei, competens, Emptori, contra venditorem ad praestandum non tantum rem verum etiam omnes fructus, reique accessiones *l. 13. ff. de act. empt.* sic fundo vendito actione ex empto non tantum fundum sed quidquid terra se tenet, aedibus venditis, quidquid & ejus per-

circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita,  
*i. i. §. 2. ff. de dol. mal. diff. Curt. tom. 1. conj. 28.* cum paucis. Hæc  
 fallacia vel incidit in contractum, quod fit cum quis ani-  
 mum contrahendi habens in ipsa re vel ejus qualitate decipi-  
 tur, ubi dolus sic re ipsa inest, contractus ipso jure subsistit:  
 ita *Jal. in l. 13. §. 5. ff. de act. empt.* Ubi cum villicus res quasdam  
 ex hereditate substraxisset, ut hanc minoris emeret, læso com-  
 petere actionem ex vendito statuit, in tantum quantum pluris  
 hereditas vendita fuisset, si hæc res subtractæ non fuissent. Vel  
 dolus inest ipsi proposito, vel ut vulgo dicitur dat causam con-  
 tractui, quod fit cum quis nullum contrahendi habens ani-  
 mum in hoc circumscriptus & dolo adversarii ad contrahen-  
 dum præcise inductus est. Ubi dolus dat causam contractui  
 bonæ fidei? Doctores Citramontani quos sequuntur Cuj. Castr.  
 aliquique, hunc statuant ipso jure esse nullum, contra Ultra mon-  
 tanos eorumque sequaces. ego citramontanorum castra sequor ex  
*i. 7. ff. de dol. mal. l. 16. §. 1. ff. de min.*



C O-



## COROLLARIA.

D. JOHANNES LEUSDEN,

I.

Mandata jurisdictione prorogari potest.

II.

IV

Consensus parentum et si requiratur ad matrimonium: non est tamen de ipsis effectionibus.

III.

Querela inofficiosi testamenti est petitio hereditatis.

V.

III

Petitio hereditatis est actio ex sua natura

tam

*tam in personam, quam in rem mixta.*

V.

*Usura usurarum Divino & humano jure  
improbantur.*

V I.

*Exheredatio patris sine Elogio & præteritio  
matris etiam post Nov. 115. testamentum  
non reddit ipso jure nullum.*

V II.

*Adolescentes, et si etiam res suas optime ge-  
rant, non possunt, et si volentes vivere  
sine omni curatore.*

V III.

*Fidejussor qui se obligavit in summam ma-  
jorem tenetur quo ad concurrentem.*

V I.

F I N I S.